



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

XIII. Laus S. Andreae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39028

LAVS S. ANDREÆ.

31

splendorem insigniaque familiæ suæ augeant, vel certè eodem loco cōservent: conservabunt autem iis artibus, quibus acquisita sunt. Et certè stirpis decus abtq; litteris haudquaquam possunt cōservare. Etenim non retinebunt celebrem opinionē, si in hominum cœtu & legationibus nō melius quàm fungus aut saxum de rebus loquantur, si non justè officia delata administrent.

XIII. LAVS S. ANDREÆ.

IN EXORDIO dices, S. Andream tantis virtutum ornamentis condecoratum fuisse, ut præmittendum non sit, quin jam mortuum summis honorum ritulis ornemus, ipsiusque nominis decus ab oblivione posterorum liberemus.

CONFIRMATIONIS *initium petetur ab eo*, quòd cum alii viam veritatis ingredi, & Christi doctrinam amplecti spernerent, aut negligerent, ipse tamen sine ulla cunctatione in Christi disciplinam sese tradidit, ejus commendatione à S. Ioanne percepta. Primus fuisse legitur eorum, qui Christi vestigiis insistere sunt conati, & causam fratri suo Petro singulari quodam amore spirituali incitatus, conversionis dedit.

Deinde exponetur, quemnam se, Christo adhuc in terris agente, & eo sublato in cælum præbuerit, partim vitam suam præclarè & sine reprehensione instituendo, partim aliorum saluti invigilando. In vita imitatus fuit Magistrum suum, qui simul *cœpit, & docere, & facere*, (Act. 1.) Charitas ejus singularis hinc apparet, quòd etiam sciret fieri non posse, ut *Canaan* provinciam, quæ sibi sorte obvenerat, à falso idolorum cultu ad veram Dei cognitionem sine vitæ discrimine perduceret, non tamen à suscepto munere animum

ayo-

avocavit, sed eo flagrantiori ferventiori; studio partibus suis satisfacit, quo plures sibi difficultates imminere adverteret.

Tertio commendabis ipsum ab inaudita animi constantia & fortitudine. Legitur Proconsulem insigni crudelitate, absque ulla trepidatione hunc in modum aggressus: *Recognosce, o Iudex hominum, adhuc in calis versari iudicem: cognitum colas, & colendo eum, qui verus Deus est, animum à falsis diis revoces.* Constante & intrepidè minas tyranni sprevit, magna cum fortitudine fidei suæ testimonium dedit, cum in patibulo crucis vivus non solum pendere tribus diebus non recusavit, sed etiam ab eo se liberari non permisit. Hic commenda Dei bonitatem, quod permisit vivum Apostolum pendere, quò, viso hoc miraculo, plures & fidem, & servitum Dei amplecterentur.

EPILOGUS incitabit Auditores ad virtutum D. Andreae imitationem.

XIV. CHRISTIANOS CIVILI MAGISTRATUI SUBJECTOS ESSE DEBERE.

EXORDIUM à causa impulsiva: quòd quidam Catholicæ religionis hostes perfricta fronte & impudenti suore publicè docere & scriptis edere audeant, Christianos civili Magistratui non esse subjectos, sed esse omnes Reges & Sacerdotes.

PROPOSITIO: Proinde re probaturum omninò eos civili Magistratui obedientiam debere.

CONFIRMATIONIS. I. RATIO à causa & auctoritate Magistratus qui est Deus: omnis enim potestas à Deo est, ut docui fusè in Spec. Mag. signo. 139.

II. ab officio hominis Christiani, Quod est, Christum audire, & mandata ejus exequi: at Christus disertè præcipit, ut Casari demus, quæ sunt Casaris, & ipse didrachma dedit pro se & Petro, & Magistratui